

DE ORDINE CARITATIS  
INTER PROPRIAM ALTERIUSQUE VITAM  
IUXTA THEOLOGOS FRANCISCANOS SAEC. XVII

INTRODUCTIO

DE ORDINE caritatis agentes auctores,<sup>1</sup> non semper eodem modo quaestiones particulares solvunt; ratio est, quia varia sunt objecta caritatis, quae obiectivae bonitatis diversimode participant.<sup>2</sup> Inter haec obiecta, quae speciales difficultates faciunt, numerantur propria et alterius vita, quae quidem ordinate et propter Deum diligendae sunt, nemo est qui dubitet. Certo vita physica, cum non pertineat ad bona omnino necessaria pro aeterna salute consequenda, iuxta omnes aliquando exponi potest vel debet pro bonis superioribus suis vel proximi tuendis; sed quaestio movetur utrum pro bono aequali proximi, scilicet pro eius vita corporali, ceteris paribus, liceat propriam prodere, vel aliis verbis utrum vita proximi corporalis propriae praeferri possit.<sup>3</sup>

Quaestio aliquomodo iam adumbrabatur apud antiquos philosophos et gentiles, qui ex una parte quasdam dispositiones vel actus nostros erga alterum, ut generositatem, fidelitatem et amicitiam, tanquam honestas, imo virtuosas habebant, ex alia tamen parte ipsi dilectionem sui nedum negligebant, imo communiter amorem sui ut regulam amoris erga alterum

<sup>1</sup> Impossibile est heic referre omnes auctores, de re agentes, tum antiquos, cum modernos; iuvat tamen praeter eos, qui rem tangunt in Commentariis in III librum *Sententiarum* vel in II-II *Summae theologiae* nonnullos prae oculis habere, qui sunt: S. Paschasius (786-c. 860), *De fide spe et charitate* lib. 3 c. 8 (ML 120, 1472-4); H. Busenbaum SJ (1609-68) — C. Lacroix SJ (1652-1714), *Theologia moralis*, Coloniae Agrippinae 1710, ed. 2, lib. 2 tr. 3 c. 2 dub. 1, (tom. 1, pp. 138-47); S. Giribaldi Cr (+ 1720), *De principiis moralitatis actuum humanorum decemve praeceptis Decalogi* in *Opera Omnia*, tom. 4, Bononiae 1760, coll. 364-7; J.A. Del Vecchio, *Theologia moralis universa*, Mediolani 1855, tr. 6 disp. 3 c. 2, tom. 1, pp. 653-56; F.M. Cappello SJ, *De caritatis ordine*, in *Casus Conscientiae* (curant. P. Palazzini — A. De Jorio, Torino 1958) P.i. pp. 277-81 et J.E. Van Roey, *De virtute charitatis* quaestiones selectae, Mechliniae 1929, *De ordine charitatis*, pp. 317-60.

<sup>2</sup> Cf. J.E. Van Roey, o.c., pp. 327-36; 348-60.

<sup>3</sup> De obligatione vitam alterius propriae praeponendi cf. e.g. I. Malderus, *De virtutibus theologicis et iustitia et religione*, Antverpiae 1616, q. 26 a. 5 ass. ult., p. 210a.

statuebant.<sup>4</sup> Similiter res se habebat apud SS. Patres et antiquiores theologos.<sup>5</sup> Attamen quaestio expresse disputationi theologicae non fuit subiecta donec theologi posteriores, incipiendo, uti nobis videtur, a Durando,<sup>6</sup> Petrum Lombardum vel S. Thomam aut S. Bonaventuram commentaverint; quorum alii explicite permittunt vitam alterius, iuxta ordinem caritatis, propriae praeferre, alii tamen id prohibent.

Ratio huiusmodi divergentiae deduci videtur ex duplici conceptu, nempe egocentrico et altruistico,<sup>7</sup> circa naturam caritatis et amoris in genere. Iuxta alios enim caritas esse non potest nisi erga alterum<sup>8</sup> et eo

<sup>4</sup> Cf. passim ex.gr.: Aristoteles, *Ethica Nicomachea* in *Opera Omnia*, ed. Firmin Didot, vol. II, Parisiis 1883; Terentius, (c. 190-159 a.C.), *Andria* in *Comoediae sex cum notis Joh. Minellii*, Venetiis 1744; Seneca, *De beneficiis* trad. da B. Varchi, in *Opere morali*, Milano s.d. et Cicero, *Laelius*, in *Opera Omnia* vol. III, Lipsiae B.G. Teubner 1884-9.

<sup>5</sup> Sic inter alios: Tertullianus (c. 160-c. 220), *Apologeticus adversus gentes*, 39, ML 1; S. Augustinus, *De mendacio*, 6, ML 40; S. Gregorius Magnus, *Homilia* 17 et 38 in *XL Homiliae in Evangelia*, ML 76; Alcuinus (730-804), *Commentaria in S. Ioannis Evangelium*, 8, ML 100; Petrus Lombardus (c. 1100-60), *Libri IV Sententiarum* lib. 3 d. 29 et lib. 4 d. 15, ed. Quaracchi vol. II, 1916; S. Thomas, *Summa theologiae* II-II q. 26, ed. P. Caramello, vol. II Taurini-Romae 1952; S. Bonaventura, *In III librum Sententiarum* d. 29, ed. Quaracchi, vol. III Ad Claras Aquas 1887; I. Duns Scotus, *Quaestiones in IV librum Sententiarum* d. 15, ed. L. Vivès, tom. 18, Parisiis 1894.

<sup>6</sup> G. Durandus A.S. Porciano, *In Sententias theologicas P. Lombardi commentarium* lib. 4 d. 17 q. 6 *Utrum fortis secundum fortitudinem virtutis moralis debeat vel ei liceat in quocumque casu eligere mortem*, ed. Rovillius, Lugduni 1587, pp. 764b-766a.

<sup>7</sup> Circa hanc quaestionem ingens habetur litteratura auctorum, praesertim modernorum, quorum nonnulli hic citantur: A. Adam, *Der Primat der Liebe*, Kevelaer 1939; M.C. D'Arcy, *The mind and heart of Love*. Lion and unicorn. A Study in eros and agape, London 1945; G.M. Cella OFMConv, *Dall'amore di speranza all'amore di carità*, in *Miscellanea Francescana*, 53 (1953) 153-89; J.P. Dallaire, SJ, *La dualité de notre amour*, in *Sciences Ecclésiastiques*, 3 (1950) 183-93; A. Nygren, *Eros et agapè: la notion chrétienne de l'amour et ses transformations*, 3 voll., Paris 1940-52; W.J. Philibin, *The scholastic teaching on the nature of charity*, in *Irish Ecclesiastical Record*, 69 (1933) 20-46; E. Ranwez, *An amor concupiscentiae adversatur amoris benevolentiae?* in *Collationes Namurcenses*, 26 (1932) 419-26. et P. Rousselot, *Pour l'histoire du problème de l'amour au Moyen Age*, in *Beiträge zur Geschichte der Philosophie des Mittelalters*, 6 (Münster. W. 1908, Heft VI) 1-104.

<sup>8</sup> S. Gregorius Magnus, *Homilia* 17, l.c., col. 1139: 'Ecce enim binos in praedicationem discipulos mittit, quia duo sunt praecepta caritatis, Dei videlicet amor, et proximi, et minus quam inter duos caritas haberi non potest. Nemo enim proprie ad semetipsum habere caritatem dicitur, sed dilectio in alterum tendit, ut caritas esse possit'. Alii auctores loquuntur etiam de caritate ut amore erga proximum, sic ex.gr. H. Weber, *La carità cristiana*, trad. G. Sandri, Roma 1947; H. Yaben, *Importancia especial del mandato de amor al prójimo en la ley cristiana*, in *Estudios Bíblicos*, 4 (1932) 109-18.

maior quo maiorā bona, ut ipsa vita corporalis, pro proximo ponantur; iuxta alios autem caritas ab ego incipere oportet,<sup>9</sup> neque, per consequens, licitum est, ceteris paribus, propriam vitam pro altero ponere.<sup>10</sup>

Ad quaestionem recte solvendam alia consideratio prae oculis habenda est, illa nempe quae eruitur ex natura praecepti propriam vitam conservandi, quod continetur in illo 'Non occides'.<sup>11</sup> Etenim huiusmodi praeceptum, iuxta alios, permittit vitam alterius propriae praeferre, quandoquidem uti in se continet partem affirmativam, semper obligare non oportet; dum e contra pro aliis hoc praeceptum, quia negativum, est gravissimum, prohibens hominem propriam vitam perdere aut eam periculo exponere, eo quod homo non sit dominus eius.

Nec quaestio est mere speculativa, quia multi dantur casus, qui diversimode iudicari possunt iuxta diversam quaestionis solutionem. Ita in antiquitate casus nonnullorum gentilium, quos Cicero inter alios nobis refert;<sup>12</sup> casus S. Paulini episcopi et S. Didymi;<sup>13</sup> casus P. Ioannis Bapt.

<sup>9</sup> S. Augustinus, *De Civitate Dei*, I, 20 (ML 41, 34): 'quoniam regulam diligendi proximum a semetipso dilector accepit: quando quidem scriptum est, *Diligens proximum tuum, tanquam te ipsum*'. Cf. etiam S. Bernardinus OFM, *Quadragesimale de evangelio aeterno*, in *Opera Omnia* cura Ioannis de la Haye Parisini OFM, tom. II, Venetiis 1745, pp. 42b-43a.

<sup>10</sup> Huius quaestionis difficultas atque momentum patet adhuc ex recenti discussione inter auctores circa liceitatem transplantationis organorum humanorum; nam, cum alii ex una parte asserant quod, si liceat propriam vitam alteri dare, ut constat ex Ioann. 15, 13, a fortiori unum organum, uti oculorum, renum aliorumque organum gemellorum, ex motivo caritatis alteri licite cedere oporteat, alii vero id aperte negent. Sic explicite affirmat inter alios P. Bongiovanni, *Del trapianto d'un membro*, in *Perfice Munus*, 29 (1954) 697: 'Trattando della carità verso il prossimo è pure unanime presso gli A.A. il consenso nell'ammettere come atto altamente lodevole e sublime, il dare la propria vita per un altro, non solo per la sua salvezza spirituale, ma anche per la sua salute fisica. E questo non è del resto che un'eco dell'affermazione solenne di Gesù: 'Nessuno ha carità...'. Cui tamen refutat inter ceteros L. Bender, *Transplantatio organorum humanorum* in *Perfice Munus*, 32(1957) 91: 'Refutatio e contra est res facillima et obvia. Ut ratiocinatio 'a fortiori' probet, requiritur ut in utraque parte loquamur de eodem modo quo actus fiunt. In transplantatione autem agitur de 'directe se privare organo'. Hoc certissime... est a fortiori licitum, si directe se privare vita (pro proximo) sit licitum. Sed proprie numquam est licitum.' Cf. etiam J.M. Balirach SJ, *Cotejo de opiniones sobre transplantes humanos*, in *Sal Terrae*, 44 (1956) 84-91; G. Bosio SJ, *Il problema dei trapianti sotto l'aspetto morale*, in *La Civiltà Cattolica*, 107 (1956 IV), 382-94; G.B. Guzzetti, *Problemi del quinto comandamento*, in *La Scuola Cattolica*, 86 (1958) 161-85, 241-63; J. Pereda SJ, *La mutilación y el trasplante de órganos*, in *Estudios de Deusto*, 2 (1954) 475-525; J.M. Saiz, *Los transplantes de órganos humanos ante la moral*, in *XVI Semana Española de Teología*, Madrid 1957, pp. 493-532 et B. De Maria - G. Perico, *Il problema dei trapianti umani*, Roma 1958.

<sup>11</sup> Ex. 20, 13.

<sup>12</sup> Cf. cap. I art. 21. 4.2) huius.

<sup>13</sup> S. Paulinus de Nola 'ex nobilissimo et opulentissimo factus est pro Christo

Romani;<sup>14</sup> recenter casus Mariae Theresalinae<sup>15</sup> et casus famosus Patris Kolbe, qui mortem voluntarie adivit pro quadam persona privata.<sup>16</sup> Iamvero quaeritur quis sit ordo caritatis inter propriam et alterius vitam, et quomodo explicari possit illud quod homo non est dominus vitae suae.

Auctores, etsi ex uno alterove capite problema, sic propositum, insinuaverint, nondum tamen, secundum nostrum iudicium, ex professo de

pauper et humilis, et quod supererat, seipsum pro redimendo viduae filio, quem Wandali Campania devastata captivum in Africam abduxerant, in servitutem dedit' (*Martyrologium Romano-Seraphicum*, 22 iunii, Levanti 1911, p. 94). Cornelius A. Lapide SJ, *Commentaria in Sacram Scripturam*, tom. III, p. 257a: 'Si licet vitam ponere pro vita amici, multo magis licet pro eius pudicitia, aliave virtute defendenda. Sic S. Didymus vitam exposuit pro vita et castitate S. Theodora, dum mutatis cum ea vestibus pro ea in lupanari remansit: unde postea cum eadem martyrio laureatus est'. Cf. etiam *Diz. Stor. Eccl.*, 74 (1885) 19a-b.

<sup>14</sup>Cornelius A. Lapide, *ib.*: 'Memorable est quod in Annalibus Societatis Iesu legimus, P. Ioannem Baptistam Romanum in naufragio arreptam tabulam Iudaeo cuidam cecidisse ea lege, ut si enataret, Christianus ferret; enatavit uterque, Iudaeus tabulae incubans, Baptista mari, aut potius Deo: itaque sibi temporalem quam spiritualem vitam impertit: Iudaeus enim tantae charitatis exemplo victus manus nomenque Christo dedit, ac baptismo regeneratus Christiano deinceps ritu vixit'.

<sup>15</sup>I. Omaechevarria OFM, *Una victima perfecta*, Vitoria 1949, pp. 133-4: '... Mas fijemos nuestra atención en Madre Aldetrudis. Le quitaron no sólo las gafas, sino también el anillo y el velo. Entonces M.M. Teresalina, con un gesto rápido, cubrió con su velo a la Superiora, que justamente tuvo tiempo para consumir la sagrada forma, retirándose a un corredor inmediato. Comunión emocionante de la Madre Superiora, bajo la sombra blanca... 'En esto se oyen disparos en la galería-prosigue Sor Priscila - . Madre M. Aldetrudis sale diciendo: - Voy a ver lo que ocurre. - No vaya usted, que la van a matar - le dijimos nosotras. Pero ella salió seguida de M.M. Teresalina'. Gritos de angustia de las enfermeras seculares que están en la sala de enfrente. Filomena... sale corriendo. Madre Aldetrudis la toma de la mano para llevarla a la sala de los niños. Se presenta un grupo de forajidos, el más joven de los cuales grita: A matarlas! Madre M. Teresalina, que ve el peligro, con rápida y heroica decisión, se pone delante de la M. Superiora, cumpliendo sin titubeos su promesa de la víspera, y recibe sobre su cuerpo tres disparos. - Madre! Yo me muerdo! gime al caer en tierra. A matarlas. También a las otras! Y así cayó también Madre M. Aldetrudis...'. Cf. etiam FMM. *Jusqu' a la mort*, Roma 1956, pp. 123-4.

<sup>16</sup>Huiusmodi factum breviter nobis narrat J. Pereda, *l. c.*, p. 496: 'Se escapó un prisionero del pabellón que él ocupaba y vino orden brutal de diezmar a los restantes, si no aparecía el fugitivo. Los condenados entraban desnudos en el subterráneo de la muerte y allí habrían de morir de frío, hambre y sed sin remedio. Solo se abriría la puerta para ir sacando los cadáveres. Entre los designados a tan terrible martirio, se encontraba Frank Gajowniczek, casado y padre de pobres niños... Cuando se inicia la marcha, verdaderamente macabra, da un paso adelante el P. Kolbe y dice: 'Yo quiero ir a la muerte en substitución de ese padre de familia', y con horrible frialdad responde el jefe: 'Admitido'. Y entra en el subterráneo de la muerte y allí alienta a los demás y sufre lo indecible; sin exhalar una queja, y muere él último de todos el 14 de agosto de 1941'.

eodem tractaverunt. Certe pro felici exitu solutionis, vel saltem pro maiori claritate eius, studium profundius atque magis universale, ut apud principaliores scriptores totius christianitatis, desideratur, quod tamen in praesenti studio minime intendimus attingere; sed quaestionem tantum ad theologos franciscanos saeculi XVII limitamus, nempe E. Rodriguez, F. Pitigianis, H. Villalobos, I. Poncium, P. Marchant, E. Bassaeum, B. Mastrium, G. Herincx, I.G. Boyvin, A. Cotonium, P. Sporer, L. Brancati, A. Hermann, A. Reiffenstuel, B. Sannig et A. Gavelli. Ratio quare auctores saeculi XVII interrogamus est quia ipsi, cum sua opera scripserint tempore quo theologia moralis ut scientia autonoma nuper facta erat, aliquod momentum pro historia eiusdem conficienda, saltem respectu quaestionis de ordine caritatis, habere poterant; ratio autem cur auctores franciscanos interrogamus est quia in quaestione de natura caritatis, ideoque etiam de eius ordine, schola franciscana dicitur sequi aliam conceptionem, quam vocant ecstaticam,<sup>17</sup> vel moralem,<sup>18</sup> diversam ab illa thomistica, quae physica appellari solet,<sup>19</sup> vel etiam quia

<sup>17</sup>P. Rousselot, *l.c.*, pp. 3-4: 'La conception *extatique*. . . est d'autant plus accusée chez un auteur, qu'il prend plus de soin de couper toutes les attaches qui semblent unir l'amour d'autrui aux inclinations égoïstes: l'amour, pour les tenants de cette école, est d'autant plus parfait, d'autant plus *amour*, qu'il met plus complètement le sujet 'hors de lui-même'. Il s'ensuit que l'amour parfait et vraiment digne de ce nom requiert une réelle *dualité* de termes: le type du véritable amour n'est plus, comme pour les auteurs précédents, celui que tout être de la nature se porte nécessairement à lui-même. L'amour est tout à la fois extrêmement violent et extrêmement libre, parce qu'on ne saurait lui trouver d'autre raison que lui-même, indépendant qu'il est des appetits naturels; violent, parce qu'il va à l'encontre de ces appetits, qu'il les tyrannise, qu'il semble ne pouvoir être assouvi que par la destruction du sujet qui aime, par son absorption dans l'objet aimé. Etant tel, il n'a pas d'autre but que lui-même, on lui sacrifie tout dans l'homme, jusqu'au bonheur et jusqu'à la raison. La conception extatique de l'amour a été exposée avec infiniment d'art, de ferveur et de subtilité par quelques-uns de ces mystiques éperdument dialecticiens qui sont les figures les plus originales du XIIIe siècle; on la rencontre à S. Victor, dans l'Ordre de Citeaux, dans l'école d'Abélard, et les traces en sont reconnaissables dans la scolastique des franciscains'.

<sup>18</sup>G. Gilleman SJ, *Le primat de la charité en théologie morale* ed.2 Bruxelles Bruges-Paris 1954, pp. 135-6: 'La volonté n'est pas nécessitée, même par la mise en présence de son souverain bien dans la vision; A plus forte raison n'est-elle pas déterminée par l'ordre métaphysique ici-bas. . . . Tout l'ordre ontologique thomiste de la béatitude est accepté par Scot. Mais précisément l'ordre de la volonté libre et de l'amour humain est *distinct de cet ordre métaphysique*, et c'est pourquoi il est 'moral' et non 'physique' ni 'naturel': il n'est pas sur le plan de l'inclination foncière. Dès sa première démarche appréhensive, la volonté est libre et ne 'se' détermine que par son propre choix spontané. . . '. Cf. etiam J. Rohmer, *La finalité morale chez les théologiens de S. Augustin à Duns Scot*, in *Etudes des philosophie médiévale*, Paris 1939, p. 283.

<sup>19</sup>P. Rousselot, *l.c.*, p. 3: '... *Physique*, cela va de soi, ne signifie pas ici

ipsa caritas in spiritualitate franciscana magnum momentum obtinere dicitur.<sup>20</sup>

Nos autem diligenti facta investigatione apud praefatos auctores franciscanos invenimus alios permittentes vitam alterius propriae licite praeferre, quorum sententiam et argumenta in cap. I exponimus et crisi subicimus; alii vero occurrunt qui hunc ordinem caritatis prohibent, de quorum sententia argumentisque sermo in cap. II habetur.

## CAPUT I

### SENTENTIA AUCTORUM

#### VITAM ALTERIUS PROPRIAE PRAEFERRE PERMITTENTIUM

##### Art. I. EXPOSITIO SENTENTIAE

Ex auctoribus franciscanis saec. XVII, qui, de quaestione utrum ceteris paribus liceat necne vitam alterius propriae praeferre tractant, nonnullos invenimus affirmative respondentes, qui sunt: E. Rodriguez, F. Pitigiani, H. Villalobos, I. Popcius, E. Bassaeus, B. Māstrius, G. Herincx, I.G. Boyvin, A. Cotonius, A. Reiffenstuel, B. Sannig et A. Gavelli.

Rodriguez praeprius tenet ipsum ordinem caritatis permittere ut inter personas privatas alter pro altero vitam periculo exponere possit,<sup>21</sup> a

*corporel*: les partisans les plus décidés de cette manière de voir ne regardent l'amour sensible que comme un reflet, une faible image de l'amour spirituel. *Physique* signifie *naturel*, et sert ici à désigner la doctrine de ceux qui fondent tous les amours réels ou possibles sur la nécessaire propension qu'ont les êtres de la nature à rechercher leur propre bien. Pour ces auteurs, il y a entre l'amour de Dieu et l'amour de soi une identité foncière, quoique secrète, qui en fait la double expression d'un même appétit, le plus profond et le plus naturel de tous, ou, pour mieux dire, le seul naturel. Cette manière de voir est celle, par exemple, de Hugues de S. Victor dans son traité *de Sacramentis*; c'est celle de S. Bernard dans le *de Diligendo Deo*; elle trouve un appui très ferme dans les doctrines néo-platoniciennes du Pseudo-Denys. Elle fut, enfin, précisée et systématisée par S. Thomas. C'est S. Thomas, s'inspirant d'Aristote, qui en dégage le principe fondamental, en montrant que l'*unité* (plutôt que l'*individualité*) est la raison d'être, la mesure et l'idéal de l'amour; il rétablit, du même coup, la continuité parfaite entre l'amour de convoitise et l'amour d'amitié. La conception *physique* pourrait encore s'appeler la conception gréco-thomiste'.

<sup>20</sup> Cf. v. gr.: I. Heerincx OFM (1877-1937), *De momento caritatis in spiritualitate franciscana*, in *Antonianum*, 13 (1938) 19-32, 135-170 et 475-488 et v. *Charité*, in *Dict. Spirit.* 2 (1953) 498-691; L. Bracaloni OFM, *La carità caposaldo della spiritualità francescana e cristiana*, in *Studi Francescani*, 27 (1939) 357-80.

<sup>21</sup> E. Rodriguez OFM (1570-1613), *Summa casuum conscientiae*, Venetiis 1615, c. 12 *De amore in proximum*, P. I, ff. 10d-11a: 'Quamvis teneamur amare nos ma-

fortiori ex motivo gratitudinis.<sup>22</sup> Quem sequuntur chronologicè Poncius,<sup>23</sup> Cotonius<sup>24</sup> et Sannig;<sup>25</sup> solus vero Cotonius de periculo expresse distinguit dicens ut agatur de illo cum aliqua spe, non vero de certo periculo aut de certe morte.<sup>26</sup> Ceteri auctores huius sententiae alii aliter distinguunt. Pitigianis requirit ut non agatur de solo motivo caritatis erga proximum, sed de motivo, ut aiunt, particulari virtutis,<sup>27</sup> vel etiam quando agatur de motivo caritatis erga proximum, necesse est tamen ut propria vita periculo tantum ponatur ad impediendam mortem alterius certe immi-

gis quam proximos quantum ad bona spiritualia, in temporalibus tamen non est ista obligatio, & sic licite possumus ponere vitam nostram temporalem ad periculum propter vitam proximi, quod limitatur nisi simus valde utiles Reipublicae & ille pro quo ponimus vitam, non est sic utilis, & secundum hanc limitationem debet/intelligi quaedam doctrina communis, quae affirmat posse nos demere panem ab ore nostro, etiam in extrema necessitate, & praebere illum proximo posito in eadem necessitate, ut colligatur ex eo quod resolvit Bannezius.'

<sup>22</sup> E. Rodriguez, o. c. c. 138 An licitum sit alicui exponere vitam periculo f. 164 bc: 'Si aliquis est positus in tabula aliqua in medio maris, non est licitum relinquere eam alteri, ut salvetur in ea; si vero non est adhuc positus in ea, sed habet eam apud se pro simili necessitate, bene poterit eam tradere alteri, licet putet illud fore causam sibi mortis, quia in hoc casu solum est causa negativa propriae mortis. Haec sententia est Soti, qui vult dicere non esse licitum relinquere tabulam, postquam est positus super eam, est tamen licitum non capere eam, licet sit coram oculis; quia/sic habet se solum negative, non vero cooperari morti suae: quod est licitum, ut bene fiat proximo, praecipue si sit persona, cui debeat multum & si hanc rationem penetraret Nau, non discessisset ab opinione Soti'.

<sup>23</sup> I. Poncius OFM (+1660), *Theologiae cursus integer*, Lugduni 1671, disp. 32 De praecepto charitatis q. 3, p. 392b: '... posset quis exponere se vitae periculo, ut succurrat extreme laborantibus'.

<sup>24</sup> A. Cotonius Tôf (1613-82), *Controversiarum celebrium ad Statum et mores Christianae Reipublicae pertinentium libri decem* P. I. lib. 1 contr. 6 De praeceptis fidei spei & charitatis p. 70a: '... Itaque praedictas sententias sic conciliandas puto, ut non liceat mortem certam subire ad salvandam cuiusvis privati vitam... Luceat tamen illam periculo exponere cum aliqua spe'.

<sup>25</sup> B. Sannig OFM (1637-c. 1704), *Scholae theologicae Scotistarum tomus IV. tr. 2* dist. 8 q. 2, p. 190a-b: 'Potest licite in extrema fame, vel/ naufragio constitutus, proximo suo eadem necessitate laboranti ossam panis, vel tabulam cedere ad evadendum, etsi ipsemet certo sit periturus fame, vel naufragio. Ita Victoria, Toletus, Herincx, Navarrus, Lessius etc'.

<sup>26</sup> Cf. nota 24 huius.

<sup>27</sup> F. Pitigianis OFM (1553-1616), *Summa theologiae speculativae et moralis*, Venetiis 1616, pp. 2 d 29 q. un. a. 4. p. 318b: 'Nunquam licet ponere vitam pro vita alterius privati ex amore quidem charitatis, quo s. quisque alterius vitam magis amet, quam propriam... Dixi autem id non licere ex amore charitatis anteponendo vitam alienam vitae propriae; quia potest esse alius duplex modus, quo potest quis licite oppetere mortem pro servanda vita alterius. Prior modus est si id fiat non proprie ex amore vitae alterius, sed potius virtutis amore, & ad aliorum exemplum...'

nentem.<sup>28</sup> Post Pitigianis similiter tenent Bassaeus, Mastrius, Herincx, Boyvin et Reiffenstuel, videlicet ut homo agat ex motivo virtutis. Sic Bassaeus asserit quod revera virtus licite praefertur vitae corporali.<sup>29</sup> Mastrius exigit motivum alicuius virtutis,<sup>30</sup> Herincx approbat motivum plurimum virtutum,<sup>31</sup> Boyvin loquitur de virtute generositatis et fortitudinis<sup>32</sup>

<sup>28</sup> F. Pitigianis, *ib.*, p. 319a: 'Licitum esse ex charitate ad impediendum mortem alterius certo imminente certo [sic!] exponere vitam propriam (non quidem certae morti hoc.n.non licet, ut ante dictum est) sed periculo probabili mortis; ita docet, & recte Durandus ubi supra. Et probatur manifesta ratione: nam vita alterius, quae eo modo conservabitur, maius bonum est, quam incolumitas a periculo probabili mortis propriae; sicut & certa mors alterius, maius malum est, quam periculum probabile mortis propriae. Quare qui id faciet nihil committet contra ordinem charitatis, siquidem ex praescripto charitatis maius bonum proximi praefereendum est minori proprio, non autem aequale'.

<sup>29</sup> E. Basseus OFM Cap (1585-1670), *Flores totius theologiae practicae*, tom. I Antverpiae 1660, v. *Charitas*, p. 132a: 'Nihilominus communis sententia est in contrarium: unde dicendum videtur honestum esse & laudabile, vitam ponere pro amico: modo adhibeantur quaedam conditiones. *Primo*, ne vita ponatur pro vita... nihil aliud spectando, quam ut proximus indemnis servetur: nam si comparamus vitam cum vita... secundum rectam rationem, bonum meum mihi est praefereendum; unde dici solet quemque sibi proximum, et charitatem incipere a se ipsa, quod si comparamus vitam cum honestate virtutis, iam apparet, me mihi magis consulere, quam amico, cum ipsi conservem bonum corporale, mihi autem comparem spirituale...'

<sup>30</sup> B. Mastrius OFM Conv (1602-73), *Theologia moralis*, Venetiis 1688, ed. 3 disp. 10 De praecceptis virtutum theologiarum, p. 218b: '... Quanvis autem quoad bona corporalia... caeteris paribus unusquisque magis seipsum diligere debeat, quam proximum; non autem contra hunc charitatis ordinem faceret, si quis ex motivo alicuius virtutis pro tuenda amici vita propriam exponeret, imo hoc, tamquam perfectae amicitiae officium commendatur a SS. Ambrosio lib. 3 de offic. c. 12 et Hieron. in c. 7 Mich...'

<sup>31</sup> G. Herincx OFM (1621-78), *Summa theologica scholastica et moralis*, P. 3 Antverpiae 1680, disp. 11 De charitate q. 7, p. 213b: '... Praeterea inhaerendo priori sententiae, adhuc advertit Suarez *d. 9 sect. 3 n. 7* solum esse peccatum veniale, etsi exponatur vita pro extraneo, eo quod inordinatio sit parva seu excessus modicus, qui ex pondere velut aequali vitae proximi quam plurimum alleviatur; immo si alia motiva jungantur, v.g. beneficia accepta, utilitas Ecclesiae vel boni publici etc. ex toto potest compensari, morsque citra propriam cooperationem honeste subiri. Quae doctrina Suarez probabilissima est. Valentia quoque et alii passim fatentur id esse licitum concurrente simili causa v.g. gratitudinis, pietatis, fidelitatis, amicitiae etc. eo quod tunc non tam proximus prae nobis, quam opus virtutis prae usura brevi vitae ametur.

A fortiori quoque licite, immo sancte quis vitam pro proximi vita exponit, concurrente aliquo altiori motivo honoris Dei aut salutis animarum, vel boni communis...'

<sup>32</sup> I. G. Boyvin OFM (+ 1680), *Theologia Scoti* in quatuor partes divisa, Parisiis 1682, P. 4 tr. 1 De virtutibus theologis disp. 3. c. 1 q. 8 Quisnam sit ille ordo, qui extare debet in actibus charitatis? p. 152: 'Licet autem hoc [quod ex charitate non debeamus exponere nostram vitam temporalem pro vita temporali alte-



et Reiffenstuel ultimo requirit motivum alicuius heroicae virtutis.<sup>33</sup>

Deinde, quoad motivum amicitiae, Villalobos permittit ut corpus amici proprio praeferrri possit.<sup>34</sup> Quocum concordant Mastrius,<sup>35</sup> Herincx,<sup>36</sup> Boyvin<sup>37</sup> et Gavelli.<sup>38</sup> Etsi Bassaeus aliquomodo motivum amicitiae exaltet, non tamen id vult simpliciter, nempe quando agitur de sola amicitia, speciatim humana, sed necesse est ut agatur de casu obligationis.<sup>39</sup>

Praeterea notandus est modus, quo vita alterius propriae praefertur, quia auctores diversimode sententias proferunt. Etenim alii adhibent verba 'vitam ponere' vel 'eam exponere' sine ulla additione, sic Bassaeus,<sup>40</sup> Mastrius<sup>41</sup> et Herincx;<sup>42</sup> vel simpliciter dicunt proximum licite praeferre sive antepone, ut Reiffenstuel<sup>43</sup> vel se ipsum postponere, ut Gavelli.<sup>44</sup> Alii vero adhibent 'vitam exponere periculo' aut certo periculo aut simpliciter periculo mortis, sic Rodriguez,<sup>45</sup> Pitigianis,<sup>46</sup> Villalobos,<sup>47</sup>

rius] non debeat fieri ex amore vitae alterius, quae est simile bonum vitae propriae, potest tamen fieri ob amorem virtutis, nempe generositatis & fortitudinis, quae est bonum superioris ordinis...'.<sup>33</sup>

<sup>33</sup> A. Reiffenstuel OFM (1641-1703), *Theologia moralis*, Mutinae 1763, tr. 4 De virtutibus theologicis, tom. 1, p. 170a: 'Dico notanter *per se loquendo*, id est, nisi adsit altius motivum spirituale, alicuius heroicae virtutis...'.<sup>34</sup>

<sup>34</sup> H. Villalobos OFM (+ 1637), *Summa de la theologia moral*, vol. 2 Barcelona 1640, tr. 3 De la caridad, p. 31b: 'En algun caso seria licito poner a peligro la vida por el amigo'.<sup>35</sup>

<sup>35</sup> Cf. nota 30 huius.

<sup>36</sup> Cf. nota 31 huius.

<sup>37</sup> I. G. Boyvin, o. c., p. 153: 'Adde quod, si hoc ultimum non debeat fieri ex charitate, fieri tamen potest ex amicitia...'.<sup>38</sup>

<sup>38</sup> A. Gavelli OFM (+ 1712), *Breviarium universae theologiae*, Bononiae 1692, P. 3, tr. 1 disp. 10 De charitate q. 3, p. 259: 'Ceterum observandum est pradicatum ordinem charitatis quoad bona corporalia... non ita necessario esse servandum, quin saepius sit licitum ea postponere bonis corporalibus alterius... Insuper licitum est id facere cum amico propter Deum dilecto...'.<sup>39</sup>

<sup>39</sup> E. Bassaeus, o. c., tom. 1 p. 132a: '... Quarto, saepe melius erit omnibus consideratis, se non exponere pro altero, nisi in casu necessitatis, seu obligationis: hinc pro sola honestate amicitiae praesertim humanae, saepe non erit prudentiae vitam exponere: & sic conciliari possunt diversae Authorum sententiae, & contraria argumenta dissolvi'.<sup>40</sup>

<sup>40</sup> *Ib.* Cf. etiam nota 29 huius.

<sup>41</sup> Cf. nota 30 huius.

<sup>42</sup> Cf. nota 31 huius.

<sup>43</sup> A. Reiffenstuel, o. c., p. 170a: 'Dico notanter *per se loquendo*... nisi adsit altius motivum spirituale, alicuius heroicae virtutis, quod traheret aliquem ad praeponendum vitam alterius propriae periclitantis'.<sup>44</sup>

<sup>44</sup> Cf. nota 38 huius.

<sup>45</sup> Cf. nota 21 huius.

<sup>46</sup> Cf. notae 27, 28 huius.

<sup>47</sup> Cf. nota 34 huius.

Poncius,<sup>48</sup> Bassaeus,<sup>49</sup> Cotonius<sup>50</sup> et Reiffenstuel.<sup>51</sup> Alii tandem terminum adhibent 'mortem adire' vel 'eam opetere' aut se ipsum morti tradere ut Rodriguez,<sup>52</sup> Pitigianis<sup>53</sup> et Boyvin.<sup>54</sup>

Hinc isti auctores, ut nobis videtur, his diversis terminis idem asserere satagunt, nempe ordinem caritatis, in eodem ordine honorum, permittere vitam alterius propriae praeferre. Divergentiae tantum explicari possunt: quia alii et alii, visa difficultate ex parte adversa circa ordinem caritatis asserente nullam esse rationem, ceteris paribus, vitam alterius propriae praepone, statim adducunt motivum virtutis vel amicitiae vel alia motiva particularia; sicque, secundum eosdem auctores, homo, vitam alterius ex motivo virtutis propriae praeferrando, revera non agit perpere aut contra ordinem caritatis, sed virtutem propriae vitae corporali praeferre dicitur.

## Art. 2. EXAMEN ARGUMENTORUM

Argumenta, quibus sententiam propositam praefati auctores probant, desumuntur ex S. Scriptura, ex SS, Patribus, ex theologis, ex philosophis atque ex ratione. Haec omnia reduci possunt ad auctoritatem et rationem, quaeque nunc exponenda et crisi revocanda sunt.

### I. ARGUMENTA AUCTORITATIS

#### I. Ex S. Scriptura

Potiora argumenta pro hac prima sententia sustinenda sumuntur ex SS.

<sup>48</sup> Cf. nota 23 huius.

<sup>49</sup> E. Bassaeus, o. c., tom. 2 Antverpiae 1659, v. *Homicidium*, p. 374a: '... Dicendum tamen est, licitum esse & laudabile vitam corporalem in aliquo eventu ad servandam vitam corporalem amici aequalis conditionis certo periculo exponere'.

<sup>50</sup> A. Cotonius, o. c., p. 70a: 'Nunquam licet se occidere; licitum tamen est mortis periculum subire propter maius bonum: non solum proprium, sed etiam alienum. Et quandoque etiam debitum, semper tamen urget bonum proprium, nempe virtutis, quam quisque sibi praevalt, quam aliis'.

<sup>51</sup> A. Reiffenstuel, o. c., p. 170a: '... Quod idem quamplures Doctores de vita corporali, quando uterque est in aequali vitae periculo, sentiendum putant per se loquendo, et si caetera sunt paria'.

<sup>52</sup> E. Rodriguez, o. c., f. 164d: 'Illicitum est ob salutem temporalem hominis privati tradere se morti. Haec conclusio est divi Augustini, quae probatur, quia tenetur homo amare se, & proximum, ita ut non amittat vitam suam, quod homo est dominus suarum rerum temporalium, non tamen est dominus vitae suae...'

<sup>53</sup> Cf. nota 28 huius.

<sup>54</sup> I. G. Boyvin, o. c., P. 4, pp. 152-3: 'Licet autem hoc non debeat fieri ex amore vitae alterius... potest tamen fieri ob amorem virtutis, nempe generositatis & fortitudinis... Unde/Aristoteles Ethic. cap. 8 dicit: *Qui pro aliis mortem obire consueverunt, eligunt quoddam magnum honestum sibi ipsis*. In hoc conciliatur opinio Doctorum, quorum alii dicunt, non esse vitam aliorum anteponendam propriae, & alii sustinent, licitum esse mori pro proximo'.

Litteris, et quidem ex textibus Ioann. 15, 13 et I Ioann. 3, 16; quibus aliquando accedit illud Prov. 12, 26. Quos omnes singillatim consideramus.

1) Ioann. 15, 13: 'Maiorem hac dilectionem nemo habet ut animam suam ponat quis pro amicis suis'.<sup>55</sup>

Hunc primum textum adducunt Pitigianis<sup>56</sup> et bis Villalobos<sup>57</sup> ad probandam suam thesim, nempe quod Christus, in illam sententiam pronuntiando, simpliciter loquebatur de amicis, ergo de eorum vita corporali servanda bene poterat intelligi. Sed videndum est utrum huiusmodi affirmatio sustineri possit et quomodo.

Antiquiores scriptores, data occasione, illud 'pro amicis' intelligebant pro proximo vel pro eius salute in genere, sine distinctione inter vitam spirituales et corporalem, ex quo asserebant quod licite et laudabiliter pro illa quis posset propriam vitam ponere. Sic quasi unanimis currebat interpretatio<sup>58</sup> usque ad Dominicum Soto, qui primus omnium, ut nobis

<sup>55</sup> Contextus est Ioann. 15, 12-17, in quo Christus nobis tradidit praeceptum fraternae caritatis. Cf. L. C. Fillion, *La Sainte Bible commentée*, Paris 1912, tom. 7 p. 56b. Pro argumenti informatione cf. inter alios: A. Sustar, *De caritate apud S. Ioannem*, in *Verbum Domini*, 28 (1950) 257-70 et E. Vandeur, *Aimez-vous les uns les autres*, Maredsous 1949.

<sup>56</sup> F. Pitigianis, o. c., p. 318b: 'Dixi autem id non licere ex amore charitatis anteponendo vitam alienam vitae propriae; quia potest esse alius duplex modus, quo potest quis licite oppetere mortem pro servanda vita alterius. Prior modus est si id fiat non proprie ex amore vitae alterius, sed potius virtutis amore, & ad aliorum exemplum... & in hoc sensu intelligendi sunt D. Thomas in 3 d. 29 quaest. unica artic. 5 ad tertium. lib. 1 de regimine principum. & 2.2 q. 26 art. 4 ad 2. & Franciscus Victoria in relect. de homicidio n. 24 & Sotus lib. 5 de iust. & iure q. 1 art. 6. Quod prius docuerunt Arist. 6 Ethic. c. 8 et lib. 9 ubi dicit quod oportet pro amicis multa pati, & mori si oporteat. Lactantius lib. 6 de divinis inst. c. 18 D. August. lib. 4 confess. c. 6 & lib. de amicitia c. 10. expresse docet vitam corporis ponendam esse pro amico, ut sanxit inquit divina autoritas, nimirum ad verbum Christi alludens. Ioan. 15. Maiorem charitatem nemo habet & c. & Cicero lib. de amicitia idem asserit'.

<sup>57</sup> H. Villalobos, o. c., vol. 2 tr. 12 De homicidio, p. 217b: 'También es licito poner la vida a peligro por el amigo... conforme a lo que dixo Christo Maiorem charitatem...'

<sup>58</sup> Sic inter alios citari possunt: S. Augustinus, *In epistolam Joannis ad Parthos tractatus X*, 5, 3 loquitur de mori pro fratre: 'Accipere autem calicem salutarem, et invocare nomen Domini, hoc est satiari charitate; et ita satiari, ut non solum non oderis fratrem, sed paratus sis mori pro fratre' (ML 35, 2014); Tertullianus, o. c., ML 1, 534 intelligit pro alterutro mori: 'Vide, inquit, ut invicem se diligant; ipsi enim ad occidendum [sic!] alterutrum paratiores erunt'; Alanus De Insulis (c. 1120-1202), *Summa de arte praedicatoria*, 21 (ML 210, 154) similiter habet animam ponere pro amicis: 'Si ergo omni proximo amicus persecutionis tempore et non tantum prosperitatis; noli esse amicus mensae aut fortunae sed tribulationis, ut eius adversitates tuas facias compatiendo, ut eius dolorem tuum facias condolendo; eius passionem tuam facias compatiendo, quae est maior charitas quam animam ponere pro amicis suis, et charitatem extendere ad inimi-

videtur, incepit videre in illo 'pro amicis' etiam solam vitam corporalem, scilicet Christum de sola vita corporali etiam intellexisse; ratio est quia ille aperte citabat ad propositum philosophorum dicitur, nempe *Amicus est alter ego*, quod sine dubio apud philosophos significabat vitam corporalem.<sup>59</sup>

Huiusmodi explicatio statim sibi acquirit sectatores, inter quos est Azor, asserens revera Soto sic interpretasse locum iohanneum ut nondaretur ratio cur nos distingueremus, cum Christus non distinxerit de quam vitam amicorum.<sup>60</sup> Similiter Sylvius ex hoc textu una cum illo I Ioann. 3, 16 arguebat quod, cum hic nulla facta fuerit distinctio inter vitam spiritualem et corporalem amicorum, bene intelligere possumus etiam de vita corporali eorum.<sup>61</sup> Tandem Cornelius a Lapide textum Ioannis explicite pro hac prima sententia affert dicens propriam vitam licite exponi posse pro amici vita, nempe corporali;<sup>62</sup> nec aliter iudicant Scavini et Berardi, imo asserunt S. Ioannem Chrysostomum sic etiam intellexisse.<sup>63</sup>

cos'; N. Lyranus OFM, *Commentarius in Ioannem*, Lutetiae Parisiorum 1660, tom. 4, p. 520a: loquitur de corpore exponendo pro *proximo*: 'Et ideo cum corpus proprium sit maximum bonum, quod nobis remanet pro proximo exponendum, patet quod in tali expositione est maximum signum dilectionis ad proximum'.

<sup>59</sup> D. Soto OP, *De iustitia et iure* lib. 5 q. 1 a. 6, Lugduni 1564, p. 295: 'Et primum auctoritas Christi, si meditate perpendatur, hunc plane sensum facit: tametsi non desint qui cavillantes dicant Servatorem nostrum hunc tantum docuisse, quod liceat vitam corporalem pro spirituali amici, sicut ipse fecit, exponere. Enimvero quamvis ipse ad hoc propositum illud citaverit, nihilominus dicitur illud vulgo inter philosophos circumferebatur: illud nimirum ubique docentes, *Amicus est alter ego*. Quare eorum sensus non ad vitam spiritualem referebatur, sed ad hoc quod ius amicitiae sit cum periculo propriae vitae bona amici etiam temporalia tueri. Quocirca Christus vulgatum allegans axioma, eundem sensum approbavit: videlicet quod cum charitas sit, dispendium caeterorum bonorum amici gratia facere: haec tamen summa sit ut etiam vitam ponas'.

<sup>60</sup> I. Azor SJ, *Institutionum moralium* pars. 2, Romae 1606, p. 702b: 'Recte igitur Sotus probat loco citato, licitum esse cuique pro amico corporalem vitam amittere, ita ut sit fortitudinis officium, simul & charitatis opus. Quod videtur ostendi ex illo Christi Ioan. 15. *Maiorem hac*. . . Quod si dicas hoc locum habere, quando quis vitam corporalem perdit, ut vitam spiritualem amici servet, quod suo exemplo Christus ostendit: contra hoc, illud est, quia Christus absolute, & simpliciter dixit: ut animam suam ponat pro amicis suis. Ergo non est cur nos distinguamus'.

<sup>61</sup> Cf. F. Sylvius, *Commentarii in totam secundam secundae S. Thomae Aquinatis* q. 26 a. 4, Venetiis 1726, tom. 3, pp. 123a-7b.

<sup>62</sup> Cornelius A Lapide, o. c., tom. 3, p. 257a: 'Hinc consequenter inferunt theologii per charitatem licere amico pro tuenda amici vita periculo obiicere. . . Denique Christus, Ioan. 15. *Maiorem*, inquit, *dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis*'.

<sup>63</sup> P. Scavini (1790-1869), *Theologia moralis universa* ad mentem S. Alphonsi, tom. 2, tr. 8 disp. 3 c. 2, Novariae 1853, ed. 6, p. 699: 'Sed utrum liceat privato

Attamen contra hanc explicationem surgit obiectio adversariorum, dicentes quod hic textus non est intelligendus absolute et ceteris paribus, seu de sola vita corporali comparanda ex utraque parte: sic Sporer.<sup>64</sup> Brancati textum iohanneum ita intelligit ut quis propriam vitam corporalem licite exponat tantum pro vita spirituali privati hominis seu amicorum;<sup>65</sup> eodem modo id vult Hermann, qui S. Augustinum sic etiam affirmantem intelligit.<sup>66</sup> Huiusmodi obiectio auctoritate etiam roboratur; nam non desunt auctores, qui in illo 'pro amicis' expresse intelligunt salutem spiritualem proximorum vel amicorum.<sup>67</sup> Alii vero auctores, ut Salme-

vitam suam exponere pro salute alterius privati ex motivo virtutis christianae, v.g. quia ipsa aptior est ad promovendam gloriam Dei, alii negant, quia tunc charitas non esset bene ordinata, et adhuc esset proximum diligere plus quam se ipsum. At affirmant communius cum Ioanne Chrysostomo, qui etiam de vita corporali intelligit ea Scripturae verba: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (Io 15); tunc non praefertur praecise vita proximi, sed bonum virtutis vitae propriae, ut ait Angelicus, in 3 dis. 29 a. 5<sup>o</sup>. AE. Berardi, *Theologia moralis*, vol. 2, tr. 1 sect. 3 c. 3 art. 2, Faventiae-Ratisbonae-Romae 1904, p. 51: 'Multi docent tantumdem dici non posse de bono vitae (cuius homo non est dominus); sed alii censent vitam quoque in periculum poni posse pro bono proximi vita periclitantis, etsi vita illius non esset pretiosior; unde aiunt licitum esse proximo peste laboranti inservire, cum aequo certo mortis periculo, et in communi naufragio tabulam socio cedere. Doctrina ista nedum probabilis sed certissima mihi videtur, et censeo id non solum licere, sed heroicum virtutis actum includere. Ita censet quoque S. Io. Chrysostomus, qui etiam de vita corporali intelligit illa Iesu Christi verba (Io 15, 13): *Maiorem hac...*'.

<sup>64</sup> P. Sporer OFM (+ 1683), *Theologia moralis super Decalogum*, tom. 2, tr. 5 c. 2 sect. 3, Salisburgi 1702, p. 162a: 'Dixi: per se loquendo, caeteris paribus. Sistendo nimirum in solo ordine charitatis inter communes proximos aequaliter se habentes... Si bona fide putem, me esse in statu gratiae, aggressorem vero in statu peccati mortalis (prout vere semper est iniustus aggressor) ideoque si occidatur, in aeternum dampnandus, non teneor ut me defendam ipsum occidere, sed me occidi sancte permittere possum... Atque de his, & similibus totam (non autem absolute, & caeteris paribus) intelligendum est illud Christi apud S. Ioannem 15<sup>o</sup>'.

<sup>65</sup> L. Brancati OFMConv (1612-93), *Commentaria in IV Sententiarum Iohannis Duns Scoti*, tom. 4 disp. 10 De ordine charitatis, Romae 1676, p. 153b: 'Prob. secunda pars ab aliquibus ex... illo eiusdem cap. 15 *Maiorem charitatem nemo habet*... Sed non sunt ad rem, quia loquitur de bono spirituali amicorum'.

<sup>66</sup> A. Hermann OFM (+ 1700), *Ethica sacra*, tom. 2, Aphor. 15, Herbipoli 1698, p. 211b: 'Opponitur 1. Auctoritas Scripturae Iohannis 15. dicitur: *Maiorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*, ergo ponere animam est actus charitatis, et consequenter licitum animam exponere pro amicis. Respondetur Christum loqui de eo, qui exponit vitam corporalem pro spirituali alterius, ita hunc locum intelligit S. Augustinus *lib. de mendacio* cap. 6'.

<sup>67</sup> Sic S. Bernardinus, o.c., p. 43b: 'Tertius quoque modus huius dilectionis est pro salute animae proximi tradere vitam corporalem: ultra autem hunc gradum dilectio nequaquam potest intendi teste Domino Io. 15. *Maiorem hac dilectionem...*'. Cf. etiam Dionysius Cartusianus (1402-1471), *Enarratio in Evangelium*

ron<sup>68</sup> et, inter modernos, Ceulemans,<sup>69</sup> Martini,<sup>70</sup> Lagrange<sup>71</sup> aliique, visa forsā difficultate habita inter theologos, nihil de vita amicorum penitus distinguunt. Unde dicimus quod hoc argumentum, auctoritate gravium theologorum, ut Soto, Azor aliorumque, certe sustentari potest.

2) I Ioann. 3, 16: 'In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: et nos debemus pro fratribus animas ponere'.

Hic est alter textus S. Ioannis, quem patroni huius primae sententiae allegant; ex nostris tamen auctoribus solus Pitigianis textum adducit ad probandam sententiam Dominici Soto, asserentem ordinem caritatis permittere vitam alterius propriae praeferre.<sup>72</sup> Iamvero qualem vim probativam habeat hic locus ioanneus, en interpretatio auctorum.

Alii occasione huius textus tenent ordinem caritatis non prohibere quominus pro vita temporali quis propriam ponat, praesertim ratione amicitiae;<sup>73</sup> alii tamen ad propositum expresse affirmant quod ex hoc textu

*secundum Joannem*, in *Opera Omnia*, tom. 12, art. 37 (Monstrolii 1901, p. 457b) et I. Pontas (1638-1728), *Dictionarium casuum conscientiae*, tom. 1, Venetiis 1772, v. *Caritas*, pp. 168b-169a.

<sup>68</sup> A. Salmeron SJ (1515-85), *Commentarii in Evangelicam Historiam*, tom. 9, Coloniae Agrippinae 1613, p. 450b: 'Adhaec charitatis est de suo, si potest, benefacere; maior est, si seipsum in ministerium, & servum impendat; verum illa maxima, & suprema, si ponat animam suam pro amico, quam hoc loco nobis commendavit atque praescripsit Dominus Iesus Christus...'

<sup>69</sup> F. C. Ceulenmans, *Commentarius in Evangelium secundum Joannem*, ed. 2, Mechliniae 1901, pp. 213-4: 'Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis, quod ego pro vobis facturus sum. Explicat illud 'sicut dilexi vos', et suo exemplo discipulos stimulat ut similiter pro invicem mori parati sint...'

<sup>70</sup> A. Martini (1720-1809), *La Sacra Bibbia*, vol. 3, Milano 1848, p. 331a-b similiter rem insinuat.

<sup>71</sup> M. — J. Lagrange OP (1855-1938), *Evangile selon Saint Jean*, ed. 5, Paris 1936, p. 407: 'Mais la phrase est tournée autrement, de façon que l'affection du Christ soit comparée seulement à la plus forte qui existe parmi les hommes, qui savent mourir pour leurs amis (Rom. V, 7). Jo. n'ignorait pas que la tendu (X, 16), mais ce n'était pas la question. Son discours est adressé à des disciples, qui doivent être prêts à mourir les uns pour les autres, comme il est prêt à mourir pour eux'.

<sup>72</sup> F. Pitigianis, o. c., p. 318a: 'Altera sententia est Soti lib. 5 de iust. & iure q. 1 art. 6 dicentis licitum esse anteponere bona temporalia proximi bonis temporalibus propriis, & vitam proximi, vitae propriae; quem sequitur Aragona... hoc probari potest... I Ioan. 3'.

<sup>73</sup> Sic, asserit I. Lorin SJ, *Commentaria in catholicas tres B. Ioannis*, Lugduni 1609, p. 82b: 'Ceterum pro vita temporali alterius propriam ponere, charitas per se non dicitur quidem, sed ut ait Augustinus (de mend. c. 6), hoc esset diligere proximum plus quam seipsum, quod doctrinae regulam excedit. Nihilominus honeste faceret, & laudabiliter, qui mortem pro alterius vita servanda oppeteret, virtutis amore atque ad aliorum exemplum, & praesentibus debitis circumstantiis; verbi gratia, ex honestissima inter se copulatis amicitia, posset alter mori pro

licet nobis propriam vitam corporalem ponere pro vita spirituali amicorum vel proximorum. Sic inter alios Laymann expresse ex hoc textu id probat dicens quod proximo in extrema necessitate spirituali constituto succurrendum est cum iactura propriae vitae corporalis;<sup>74</sup> neque aliter se habet Martini.<sup>75</sup>

Nobis videtur probabilior esse argumentatio Laymann aliorumque, pro qua contextus S. Ioannis maxime facit. Etenim Apostolus heic non agit nisi suos christianos exhortari ad proximo succurrendum tum in eius necessitate spirituali (v. 16) cum in eius necessitate corporali (v. 17).

3) Prov. 12, 26: 'Qui negligit damnum propter amicum, iustus est'.<sup>76</sup>

Hic ultimus textus scripturasticus adducitur a Pitigianis, Villalobos et Bassaeo pro hac prima sententia roboranda, non quidem directe, sed indirecte. Etenim iuxta Pitigianis illud 'damnum' intelligendum est pro bonis tantum corporalibus, quorum homo est dominus;<sup>77</sup> similiter id accipiendum est iuxta Villalobos, qui adhuc dicit quod sic intellexerunt expositores S. Thomae;<sup>78</sup> tandem iuxta Bassaeum id sumendum est pro bonis externis.<sup>79</sup> Attamen iuxta alios illud 'damnum' sumi oportet etiam

altero, magis amando seipsum hac in re, quam proximum, ratione boni spiritualis, quod inest in amicitiae virtute.

<sup>74</sup> R. Laymann, *Theologia moralis*, tom. 1, p. 175b: 'Proximo versanti in extrema, & moraliter insuperabili necessitate spirituali succurrendum est cum certo periculo propriae vitae: dummodo spes aequae certa proximum iuvandi affulgeat... convenienter S. Ioan, epist. 1 cap. 3...'

<sup>75</sup> Cf. A. Martini, o. c., tom. 3, p. 895a-b.

<sup>76</sup> Statim notamus ipsum textum habere varias lectiones. Etenim cum textus originalis sit obscurus et difficilis intellectu, ammanuenses et exegetae non concordant in tradendo nobis lectionem veram. Lectio tamen heic allata est illa quam latinus interpres nobis reliquit, quem exegetae et scriptores generatim praeseferunt. Sic, inter alios, N. Lyranus, *Postilla*, in *Biblia Sacra* cum glossa interlineari, ordinaria et Nicolae Lyrani *Postilla*, tom. 3, f. 321b aperte prae oculis habet solam lectionem latinam. Paulo aliter L. C. Fillion, o. c., tom. 3, pp. 256b-7a. Studium Biblicum OFM, [*Libri Sapientiales*, in *Novum Testamentum* vol. 4] Peking 1947, p. 167 nonnullas lectiones ponit, quin aliquam earum praeferre videatur.

<sup>77</sup> F. Pitigianis, o. c., P. 2, p. 318a-b: 'Pro solutione huius difficultatis pono aliquas conclusiones. Prima conclusio. Licitum est homini omnia bona temporalia quorum est dominus s. divitias, honorem, in casu necessitatis etiam temporalis propter proximum, / maxime propter amicum amittere'.

<sup>78</sup> H. Villalobos, o. c., vol. 2, p. 31a: 'Lícito es al hombre perder todos sus bienes temporales, de los cuales es señor (como son honra y hacienda) en caso de necesidad, por el proximo, mayormente si es amigo. Asi lo dizen Santo Thomas, y Aragon, y los demás expositores, y consta de lo que se dize en los Prov. *Qui negligit damnum propter amicum, iustus est*'.

<sup>79</sup> E. Bassaeus, o. c., tom. 1, p. 132a: 'In bonis temporalibus, vita, fama, fortunis, licitum est & honestum diligere magis proximum quam seipsum; haec conclusio in fama & bonis externis satis certa videtur; ex Proverbijis c., 12'.

pro ipsa vita physica, eo quod neque S. Thomas occasione huius textus, distinguebat de quonam damno, sed simpliciter asserebat hominem pati debere detrimenta corporalia propter amicum. Sic Vitoria explicitam argumentationem ex S. Doctore eruit dicens eum tenuisse quod omne detrimentum corporale sustinendum est propter amicum.<sup>80</sup> Alii vero illud 'dammum' pro lucro temporali<sup>81</sup> vel pro proprio interesse<sup>82</sup> sumunt.

Nos tamen dicimus quod etsi argumentatio Vitoria probabilitate gaudet, sententia vero auctorum nostrorum probabiliorem esse videtur, nempe hic textus *indirecte* tantum probare hominem licite vitam alterius propriae praepone, et quidem eo sensu quod ipse ita propria bona, vita inferiora, pro amico negligere satagit, ut, etiamsi exindemors sequatur, eam non timeat; quod S. Thomas in illis detrimentis corporalibus intellexerit etiam ipsam vitam physicam, videtur ipse non cogi ad hoc, eo quod, cum loquatur de detrimentis corporalibus pro amico sustinendis, non distinguendo de quibusnam, ergo de quibusdam, minime vero de omnibus detrimentis necessario intelligere poterat aut debebat. Unde Cornelius a Lapide, textum Proverbiorum commentans, ponit explicitate auctoritatem S. Thomae pro confirmatione lectionis latinae, quin mentem eius interpretetur, etsi ipse postea pergat ad ulterius et explicitius eruendam sententiam licite ponendi ipsam vitam corporalem pro vita amici: quod adhuc confirmatur auctoritate scriptorum exemplisque Sanctorum et personarum illustrium.<sup>83</sup>

B. TUNG O.F.M.

<sup>80</sup> F. Vitoria, *De caritate et prudentia*, in *Comentarios a la Segunda Secundae de Santo Tomás*, tom. 2, Salamanca 1932, p. 106: 'Sed in contrarium est quia absolute dicit Sanctus Thomas quod omne detrimentum corporale debet homo pati propter amicum. Praeterea, in principio articuli dicit quod quoad bona spiritualia debet homo se magis diligere quam proximum: ergo a contrario sensu, in temporalibus non tenetur se magis diligere'.

<sup>81</sup> Sic N. Lyranus, *ib.*, 'Qui negligit damnum, temporale. Propter ami. idest propter sublevationem amici. Iustus est. quia amicus est magis diligendus, quam lucrum temporale, sed lucrum spirituale est magis diligendum quam amicus'.

<sup>82</sup> Ita L. Fillion, o. c., tom. 4, p. 472a: 'Negligit damnum, C-à-d. que 'le juste est prêt à négliger, et même à sacrifier ses propres intérêts pour le prochain'.

<sup>83</sup> C. A. Lapide, o. c., tom. 3, p. 257a: 'Denique S. Thom. 2.2 q. 26 art. 4 ad. 2. docet ex hac Salomonis sententia, ex charitate negligi: posse bona temporalia ob maius bonum amicitiae, non vero spiritualia... Hinc consequenter inferunt Theologi per charitatem licere amico vitam pro tuenda amici vita periculo obicere...'